# MANDATUM
# *RECTORIS.*

OS FRANCISCUS-NICOLAUS GUERIN, Universi Studii Parisiensis RECTOR, Omnibus Magistris & Scholaribus Academicis, SALUTEM.

ETSI rectè facientibus satis amplum præmium sit ipsa rectè factorum conscientia, certum est tamen, ipsi Virtuti stimulum accedere non levem ex hominum famâ laudisque publicæ fructu; in Literis præsertim ac præclaris Artibus, quas honore potissimùm ali & excitari nemo est, qui ignoret.

POSTULAT igitur & Officii nostri ratio, & Studiorum nostrorum, atque adeò totius Rei Literariæ, utilitas, ut quantùm alumnos nostros in Certaminibus Aca-

demicis egregiè hoc anno obeundis impigros & alacres experti ſumus, tantùm illi Nos in ipſis remunerandis diligentes experiantur.

Itaque mandamus, ut qui ad illa Certamina admiſſi fuêre, ii præſertim, qui in iis operam haud pœnitendam edidiſſe ſibi conſcii ſunt, adſint die Jovis duodecimo menſis Auguſti, horâ poſt meridiem quartâ, in Majoribus Sorbonæ Scholis; ubi Nos quoque cum Universâ Academiâ noſtrâ aderimus. Et poſtquàm V. C. M. Christianum le Roi, Eloquentiæ Profeſſorem in Collegio Cardinalitio, perorantem audierimus, Præmia Literaria ex liberalitate tùm *D. LUDOVICI LE GENDRE*, Eccleſiæ Pariſienſis Canonici, tùm *M. CAROLI COFFIN*, antiqui Academiæ noſtræ Rectoris, & Collegii Dormano-Bellovaci, dùm viveret, Moderatoris; tùm etiam *D. JOANNIS-BAPTISTÆ COIGNARD*, Regis Typographi, annuente, &, quod ſperamus, præſente Supremo Senatu, pro cujuſque meritis diſtribuemus. Toto autem illo die & proximè ſequenti Scholæ noſtræ feriabuntur.

Ita de Conſilii noſtri ſententiâ ediximus in Ædibus noſtris Sorbonæ Plessæis, die Lunæ ſecundo menſis Auguſti, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo-primo.

Ex Typographiâ Thiboust, REGIS, nec non Academiæ Pariſienſis Typographi, in Plateâ Cameracenſi.